



MAGNIFICIS  
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
*Consultissimis, & Prudentissimis, DD.*

PRÆTORI, CONSULIBVS  
AC SENATORIBVS  
INCLYTÆ IMPERIALIS  
Reipublicæ Francofurtanæ.

*Dnm. ac Fautoribus meis honorandis, Salutem  
& Observantiam.*

**D**EVS ELOHIM, *Viri Magnifici, Nobilissimi, Am-  
plissimi, Consultissimi, Prudentissimi*, rei quidem  
nullius indiguit, quæ ad perfectionem suam fa-  
cere quoquo modo posset: nihilominus pro li-  
berrimo suo beneplacito sui existere voluit spe-  
culum visibile, quo inuisibilis sua *Dei in 2. N. rap. 10, (Rom. 1.)* i.e.  
*Essentia ac potentia* visibiliter patescerent, hisque cognitus ce-  
lebraretur, adeoq; lætaretur. Speculum id *Natura* est, siue  
Mundus vniuersus, & in hoc præcipuè *Homo*, velut vniuersi-  
tatis complementum. Nimirum hoc speculum **DEI** eminenti-  
tissimum

EPISTOLA

tissimum, peculiariterque Spiritu ELOHIM inflatus est, electus sc. ante omnia in Filio dilecto, ut esset sanctus, perfectionisque capax supernaturalis. Quare ut *Triunus* est IEHOVA: ita *Naturam* & eidentissimè *humanam triumam* existere voluit: *Spiritum*, quem insitum vulgo vocant; *Corpus*, quod eius subiectum; & *animam* quæ veluti ignis vtrumque illud actuat, animat, vitalique flamma perfundit. Idem IEHOVA, ut *potentis* instructus, imò ipsamet potentia est operosissima: ita etiam *Naturæ*, maximèque *homini facultates* inditas voluit operosas, easque ad imaginem diuinam tum *internas*, tum *externas*. Prioribus res quæque se semet respicit, atque actutum ac esse res incipit, *Spiritus anima* accensus *subiectum* sibi generat, & ordinat, (in *Natura* corpus vocatum:) Hinc procedunt subinde radij aliorum *seruitio destinati*, fonsque *potentiarum externarum*. Posterioribus igitur his res quæque res extra se positas concernit, harum *seruitio* prona, magis, minus, prout res cognatæ inuicem, tum quoque prout rerum conditio, cultusque exegerit. Idem IEHOVA ut *affectibus* affici dicitur, *voluptate* scil. vel *dolore* & *tristitia*: Ita pro re nata *Naturæ* & eidentissimè *homini affectus* indidit, quibus tum delectatus stimuletur, tum *molestatus* deterreatur. Caterum ut *bonus* IEHOVA in se est, imò ter *optimus maximus*, adeoque *Essentiam* optimam possidet, *potentiam* optimè administrat, & hinc *affectu* optimo fruitur, id est, *Voluptate* ineffabili: Simili modo *Naturam* & pro re nata *humanam* optimam voluit, optimam scil. dispositionem *principiorum Essentialem*, optimam *facultatem* inditarum administrationem, & hinc *affectum* optimum, videlicet *ידעונו* seu *voluptatem*. En finis *Naturæ* propositus *felicitas* scil. siue *summum* illud *Bonum* mundanum

## DEDICATORIA.

danum, Cœlestis illius summi Boni antitypus & speculum. Huius ergo ut gradus certi sunt : ita & illius, atque idcirco *Naturam* & præ aliis *humanam* I E H O V A existere voluit perfectam quidem, verum in gradu non statim ac origine supremo, sed initiali, è quo subinde cultura accedente ad <sup>inuis</sup> ascenderet, perindè scilicet uti & ipsemet I E H O V A, licet in se omnino immutabilis ; attamen ex Natura creata, huiusque conformitate ac obedientia voluptatem capessere constituit. Voluit autem I E H O V A omnia hæc, prout ipsemet liberrimus existit, cum libera hominis voluntate & arbitrio, ad bonum tamen inclinante. Quare ut propositum hoc D E I consisteret, oportuit Mundum, cum non esset produci ; cum esset, conseruari ; cum deprauatus, redintegrari. Hinc *Creatio*, eaque q. continuata *Generatio* : hinc & *Conseruatio* seu *Gubernatio* : hinc demum corruptionis *restauratio* ; ceu media ad felicitatem dictam collimantia. Et hæc omnia eò avidius D E V S expetit, quo cunctorum administrationem legitimam non solum lege innata scriptaque cauet, sed & ministris visibilibus coërcet & gubernat. Ministri hi præcipuè sunt *Magistratus Dî* propterea dictus, & hinc vel solo hoc nomine arcte obligatus voluntati diuinæ studere, felicitatemque D E O propositam mascule promouere. Quare cum *Sanitas* non minima Felicitatis dictæ portio sit ; nec postrema *Magistratus* functio erit, de illa ipsa esse sollicitum & idcirco de *Medicina* rite adhibenda. Nimirum *Medicina* administrata legitime sanitatis tutela ; peruerse, eiusdem ruina. Hinc digna olim reputata *Medicina*, quæ à Regibus ipsis, aliisque Magistratibus, virisque celeberrimis ad disceretur, excoleretur, propagaretur ; digna quæ honoribus,

## EPISTOLA

ribus, priuilegiis & immunitatibus donaretur, digna qua  
 non nisi testimonio publico dignis reperiis committere-  
 tur exercenda. Duobus autem præcipuè exercitatio hæc  
 nititur, directione scilicet & elaboratione. Directionem di-  
 co, qua media sanitatis præscribuntur; Elaborationem, qua  
 eadem elaborantur & administrantur. In vtraque non pos-  
 sum non extollere, *Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi,*  
*necnon Consultissimi*, prouidam vestram curam, quippe quã  
 ad prius non admittitis, nisi publico testimonio compro-  
 batos; ad posterius, non nisi vestro examine exploratos, &  
 utrosque non nisi stipulata manu Iuræue Iurando vobis de-  
 uinctos. Verum enimvero: ut hostis vitæ *Diabolus* haud  
 quicquam intermittit, quod tum ad molestandum, tum  
 ad abrumpendum fatum videtur: ita citra Prouidentiam  
 vestram pro dolor! gliscant agit, quorum inscitiam, ne di-  
 cam malitiam vitæ ciuium non opinantium impune deroge-  
 tur. Choræam in his ducunt *Iudæi*, utpotè quibus *subiectum*  
 ad id aptius inuenire vix licuit (*Keckerm. in Polit.*) His  
 enim regulis suis occultis permistum nouit *Goiim* id est,  
*Christianos* impunè & citra homicidij notam, adeoque citra  
 conscientiam interimere. Hos notatos comperit, ut næuo  
 malitiæ forma scilicet deformi, (quæ nota malitiæ à Natu-  
 ra ipsa impressa:) ita quoque fronte impudica, garrula Sua-  
 da, mendacique lingua, mediis dicto scopo aptissimis,  
 adeo quidem, ut quoque malitiæ, inscitiam, ruditatisque per  
 examen conuicti & eapropter per *Senatus consultum* Medi-  
 cina abacti, nihilominus calleant animos fascinare, leges  
 eludere, libertatémque captare, de corio *Christianorum*,  
 grandiloquis loquaculis nimis credulorum, impunè ludendi.

Miseret

## D E D I C A T O R I A .

Miseret me , quoties cernere datur , datur autem sæpissimè , Recepta , quæ vocant , inepta , heterogenea , ne dicam noxia , incautis præscripta . Miseret , quoties audire contingit , contingit autem & hoc frequenter , affectus scilicet leues , præter rei veritatem persuaderi periculosos , idque vt credulorum bursa emulgeatur , medicasterque audiat magnus . Miseret , quoties causam morbi , speciemque ridiculè audio enarratam . Sed cur miseret ? Mundus vult decipi ; decipiatur . Vestræ interim vti curæ est , *Vni Prudentissimi , prudentiâ vestrâ incautis succurrere , stolidis consulere , insciis præesse , imprudentibus providere* : ita Medicorum vestrorum & hinc mei quoque officij de abusu hoc Medicinæ *vestram Prudentiam* ad grauiora retractam , submonere . Quod non minus expeto in bonam partem suscipi , quam spero probatum vobis iri , si hoc operis , itidem ad legitimum Medicinæ exercitium collimantis , ad imitationem Pharmacopœiæ Augustanæ & Noribergensis nomine vestro diuulgem . Continet nimirum celeberrima quamplurima , à Medicis vestris , quos celebriores quouis tempore aluisse studetis , profecta , & idcirco vobis solis meritò consecranda . Continet quamplurima quibus officinæ vestræ , quarum non minimam curam geritis , & hinc instructissimas possidetis , præ aliis cluent . His accedit vester in me fauor , quod annis retro abhinc aliquot peregrinum ciuitate donastis , in Medicorum numerum adoptastis , priuilegiis frui dedistis , aliâque fauoris indicia in me cumulastis sufficientissimè . Eodem igitur fauore fretus confido , hanc meam gratitudinis tesseram , æquamente iri susceptum , qua vltiori vestro fauori me commendo , sanaque consilia Reipublicæ ruinam arcentia tem-

b                      poribus

*EPISTOLA DEDICATORIA.*

poribus hisce ruinam minitantibus cordetenus precor.  
Francofurti ad Moenum è Musæo, ipsis Nundinis autumnalibus, Anno 1641.

Magnif.<sup>æ</sup>. Ampl.<sup>is</sup>. & Prud.<sup>æ</sup>. V.<sup>æ</sup>.

*Observantissimus*

IOHANNES SCHRÖDERVS, D.





*EXIMIIS, DOCTRINA PRÆSTANTIBVS,  
artisq̃ue Pharmaceuticæ peritissimis VIRIS*

Dn. Iohan - Casparo Sparm.

Dn. Iohanni Saltz vudeln.

Dn. Iohanni Grasern.

Dn. Iacobo Holzapffeln.

Dn. Matthiæ Banfen.

Inclytæ Reip. Imperialis Francofurtanæ Pharmacopœis maximè indu-  
striis, Amicis suis ac respectiue Affinib. dilectis.

Iohann. Schröder, D. eiusdem Reip. Archiater. S. P.

**P** Rodit iam partus Pharmacopœia mea se-  
cundus, quem eò alacrius maturavi, quòd co-  
gnoui partum priorem avidissime fuisse susce-  
ptum, adeo, ut Exemplaria intra biennium non solum  
omnino sint distracta, sed & adhuc undique crebro per-  
quirantur, partusque secundi editio sollicite urgeatur.  
Quare ne desim perquirentibus, gratificerque partum  
secundum urgentibus, auctiorem hunc modo commu-  
nico, syllabisque diuersis ac synopsi breuissima adorna-  
tum. Vobis autem Viri eximij ac peritissimi eundem  
quod consecrem, causa me impulerunt varia. 1. Favor  
vester, quem hæctenus à vobis expertus sum, nimirum  
hunc non possum non reponere reciprocum. 2. Candor,

quo velea, qua pro arcanis vendita fuerunt, contri-  
buiſtis. Hinc gratitudinis teſſeram dare fas fuit. 3. Sti-  
mulus, quo ad opus hoc tum divulgandum authores  
gnavi extitiſtis, ac poſtmodum partum hunc ſecundum  
monitis veſtris, litterisque ea de re hinc inde ad vos  
transmiſſis urgere non deſtititiſtis. His ſcil. non parere  
inhumanum duxi. Prætereo peritiam & dexteritatem  
veſtram ſingularem, qua Officinas præ alijs celeberrimas,  
chymicisque medicamentis inſtructiſſimas voue-  
tis, adeoque Momorum obtrectationi occurrere polle-  
tis. Conſecro igitur Vobis partum hunc ſecundum, quem  
animo beneuoliori ſuſceptum ſpero, quod ſciam partum  
priorem admodum arriſſe. His valette. Dabam è  
Museo Francofurti, nundinis vernis, Anno 1644.

VIRO





VIRO CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO, D.D.  
**IOHANNI SCHROEDERO,**

Med. D. & Reip. Franckofurtensis ad Mœnum Medico  
ordinario, Cognato suo dilectissimo,

*P H A R M A C O P O E I A M*  
**M E D I C O - C H Y M I C A M**

Tertiùm edenti

*Congratulatur*

**IOHANNES BARCEHAVSEN, I. V. D.**  
Consiliarius Lippiacus.



*VOS Patriæ & Sophiæ studium commune, Schrödere,*

*Et sanguinis cognatio coniunxerat:*

*Diuersum studium iam separat, & fabricauit*

*Apollo te Medicum bonum & Botanicum:*

*Nam quas herbarum virtutes Thessalus olim,*

*Chiron suo labore magno repperit,*

*Quasque Dioscorides doctissimus, Hippocratesque.*

*Acutus, & Galenus expertissimus*

*Excoluere suo studio, atque Aegyptius Hermes*

*Extraxit acriore diligentia,*

*Quasque Teophrastus gelidis in Teutonis oris*

*Resuscitauit maximis laboribus,*

*Hæc, cognate, tuo complecteris omnia libro,*

*Tuæque mentis expolis acumine.*

*Sed me legiseri (paciola volumina iuris*

*Mea manu Fortuna iussit voluere.*


*Hinc alma miserum me pacis nescia turba.*

*Ferè indies (cheu) vexat, atterit, enecat.*

*Principum in Excelsis aulis quàm turpiter alter*

*Me criminatur, atque mox vult perditum:*

*Alter me laudat, scriptis & voce celebrat  
Meum laborem, meque seruatum cupit.  
Hæc ferenda mihi fors est: nam multat uterque  
Pro honore, maximo me onere grauiſſimo.  
Cunctorum tibi conciliat decus atque fauorem  
Phæbus, ſibi que collocat proximum.  
Gratulor ergo Tibi, Phæbi doctiſſima proles  
Et ego meam sortem feram placidiſſimè,  
Atque tuum librum ſi carpit Zoilus ore  
Suo maligno, Tum feras quoque placidè,  
Nam cum carpit & ☉, uon eſt onus hoc, ſed honos eſt,  
Et magnæ res eſt ab optimis laudariæ.*



**F**Offile, Planta, Animal, quæ ſint adhibenda: fugandis  
Morbis, faſciculo, Doctè Schrödere, doces.  
Namque Metallifera hæc quicquid producit alitque  
Quicquid & abscondit terra benigna, refers.  
Atque adeò lucas noctesque laboribus vrget,  
Tradas quæ populo, quæ bona grata Deo,  
Maſte ergo, maſte ægri perge iuuare ſalutem:  
Gratus es hinc ægris: gratus es hinc Medicis.

*Sic gratulatur*

PETRVS DE SPINA, Doct.  
Phyſ. Ord. Reip. FF.

AN tandem prodit tua, mi SCROEDERE, tot annis  
Optata a tantis, PHARMACOPOEA, viris?  
An tandem prodit, qua trux Libitina tenetur,  
Qua leuiore Charon cogitur ire rate?  
O bene! in humano stabulantia corpore monstra  
Nunc digito poterunt liberiore premi.  
Nunc quod Arabs, Græcus, Gallusque, Iber atque Latinus  
Continet, hoc vni vis tuo inesse libro,  
Perge Machaonia modo sic prodesse palastra,  
Æternum nomen phœbus Apollo dicat.

Cl. Dn. Affini suo gratulabundus deproperabat.

LVD OV. VON HORNIGK, V. Iuris, Med. & Phil.  
D. simulq. Com. Pal. Caf. & Phys. Ordinar. Francof.

Excellentissimo Viro, Medico Experientissimo,  
D. D. IOHANNI SCHROEDERO,  
Amico & Fautori magno.

E Cce! Machonias quicumque fideliter artes  
Exercet, studiis amplificatque suis:  
Ille mihi gemino condignus honore videtur,  
Laurea cui duplex impediatur caput,  
Hoc, Schrödere, facis! Nostram tu persequis artem,  
Vsu, tu scriptis condecorasque bonis.  
Ergo mihi geminis venerandus honoribus exis,  
Cum duplicique tuus laude triumphus erit.  
Perge nouis partam scriptis extendere famam!  
Non amat ignauos gloria magna viros.  
Præmia sunt ignavis, & certa laboribus. Hæc te,  
Vt celebri clarus laude ferare, iuuent.

Fallor?

Fallor? an vt Medicis jam proderit vsibus, auctam  
 Sic reddet famam, quem dabis, ille liber.  
 Egregius labor iste tuus? Tu dignus es autor  
 Quem Medicus, quem nunc Pharmacopœus amet.  
*Francofurti in Nundinis Autumnal. M. D C. XLI.*

Noi & elegantis operis Editionem,  
 cum affectu, congratulabatur

IOH. PETRVS LOTICHIVS, D. Med.  
*Acad. Marpurg. Prof. P. L.*

Encomium Medicinæ Sacrum.

<b>D</b> <i>Eus ipse, ait Sirachus,</i>	<i>Animantia ille cuncta,</i>
<i>Medicum creauit: axe</i>	<i>Vegetabilesque plantas</i>
<i>Medicina traxit ortum:</i>	<i>Bene nouit, annotauit,</i>
<i>Nebulæque, non honestus</i>	<i>Meminitque cuncta ad unguem,</i>
<i>Sapiensque tenuit illam.</i>	<i>Docuitque cuncta ad hilum.</i>
<i>Macrocosmus iste totus</i>	<i>Medicum fuisse Elisam</i>
<i>Medica officina lo v æ est,</i>	<i>Sale facta aquæ salubres:</i>
<i>Chymica officina mundi</i>	<i>Colocynthides agræstes,</i>
<i>Polydadala officina est.</i>	<i>Colocynthides amara</i>
<i>Medicina nota Adamo,</i>	<i>Quia dulcuere, Elisa</i>
<i>Fuit, idque teste Mose,</i>	<i>Tibi testis est farina.</i>
<i>Quia nomina ipse cunctis</i>	<i>Medicum fuisse Esaiam</i>
<i>Dedit aptarebus, atque</i>	<i>Palatha illa testis; vlcus</i>
<i>Medicum fuisse Molen</i>	<i>Quia sanat Ezechia.</i>
<i>Tibi testis arbor, à qua</i>	<i>Medicum fuisse Paulum</i>
<i>Aqua amara facta dulcis,</i>	<i>Tibi testis ipse Paulus</i>
<i>Locus ipse Mara testis.</i>	<i>Stomacho hicce languenti</i>
<i>Medicos sua Iosephum</i>	<i>Modico mero medetur.</i>
<i>Habuisse constat aula.</i>	<i>Medicum fuisse Lucam:</i>
<i>Salomonidique Regi</i>	<i>Tibi testis iste Paulus:</i>
<i>Medicina nota tota.</i>	<i>Genius comes Tobie</i>
<i>Medicina tota nota.</i>	<i>Medicus fuit Raphaël,</i>

Oculos

Oculos patris Tobia  
Quia felle piscis ungit  
Medicatur atque corde &  
Fuzat hepate Asmodaem.  
Nihil honore maius  
Sacra prodidere quicquam;  
Nihil hoc honore maius  
Quoque continent profana:  
Medicum quod Israëlis  
Vocat ipse se IEHOVA:  
Medicum quod haudque IESVS  
Dubitat vocare sese.  
Nihil hoc honore maius

Sacra prodidere quicquam;  
Nihil hoc honore maius  
Quoque continent profana.  
Tibi gratulor proinde,  
Mibi gaudeo, quod edis  
Lepidum nouum huncce librum,  
Medicum nouum huncce librum,  
Chymicum nouum huncce librum, ô!  
Cerebellulum Minerue es,  
Et es osculum Suadae,  
Es Apollinisque mysta!  
Tibi gratulor proinde,  
Mibi gaudeo, Ioannes.

EPIGRAMMA AD EVNDEM.

FOssilia & plantas, animalia, denique cuncta  
Vsu pro Medico digeris & Chymico.  
Vt studij immensi est infinitique laboris:  
Sic opus immensæ hoc vtilitatis erit.

*ita censeo, ita auguror*

IOANNES SEBASTIANVS BLOSIVS,  
Philos. & Med. D. Reip. Vlm. Poliat. & P. P.

AD EXCELLENTISSIMVM AVTOREM,  
*Amicum plurimum honorandum.*

TROCHAICI.


DEdale Scrutator indefesse rerum plurium,  
Millies formantis ac versantis actus Scenicos  
Artis, Orbis cui ministrat cuncta totus largiter,

Morbidis

Morbidis salubritatem quò afferas mortalibus ;  
Unicum quem clamat esse civium gratissimum  
Pergamus cum Co , suos post maximos Antistites,  
Quem simul suo cupit tenere contubernio  
Africa gens Maura terra , non medentium ultima,  
Et simul suo gregi adscribit Senex Aegyptius,  
Quemque Teuto , Gallus , Anglus cum Trionis septime  
Subdito , certante voto , deperibant , Finnone.

Docte Vir , Schròdere , quem non tangit incantatio  
Seculi abhorrentis illa , Trismegistus qua senex,  
Qua vel accuratior recentium atas addidit  
Spagyrum , eruditori dissecandi pharmaca  
Arte , maeste perge , non de more proletarij  
Ordinis medentium , Soli Taricho , carnibus  
Postprocul mensam abijci iussis , petentes pascier,  
Et bonam artem qui ligant cum circinationibus  
Obsita subscudibus rote molari polline  
Cumque crateis valiscis , farri condisque alueis.  
Hoc enim nisu accipis Viri Sophi praconium ;  
Hoc adempto perstrepis ceu naufraga naus leue  
Undiquaque aplustre , cantilena Salgamarium es.

ANTON. BOXBARTERVS, Doct.  
Phyl. Ord. Vlm.




**E**st locus in pratis , quâ se Tithonia Coniux  
Mane nouo roscis explicuit radiis.  
Atque vbi se multum Scarabea propago recepit  
Ludere ad apricum Solis , ab axe , iubar.  
Lulus erat varius , viridi nec inutilis herbæ,  
Quæ tolet hoc semper crescere multa loco.  
Huc etiam horrifero sese Phlegethontis ab Antro  
( Credere quis possit ? ) Turba ministra tulit.  
Prima hic Gorgoneis Aleto infecta venenis  
Venit , Tisyphone quam comitata fuit.

Tertia non segnis venit properantibus alis  
Dira *Megara* graui congeminata malo.  
Ventosæ incipiunt subito crepitacula linguæ  
Exerere, & de senon nisi magna loqui.  
Gloria prima fuit *furiarum*, & Gloria summa,  
De vitiis magnum tollere laudis opus.  
Quomodo *Myriadus morborum* eduxerit Orco  
Quælibet, inque homines fuderit omne malum:  
*Pestiferam* hæc iactat *tabem*, immedicabile damnum,  
*Hydropem* dirum hæc, horriferaque *febrim*.  
Horrifera *febrim*, qui morbus ab orbe creato  
Corpus in humanum sæuior vsque furit.  
His & *Erysipelas*, *Phagedæna*, *Elephantiasisque*.  
Atque *dysenteria* fluxus, & *hexis* atrox.  
*Arthritis*, raptæque *Epilepsia* Mentis, & horror  
Cordis, pleuritis, *caliacusque* dolor.  
Cuncta hæc *Eumenidum* diffusa è pyxide damna  
Humanum incipiunt sollicitare genus.  
Gloria quam vana hæc, iactantiaque imbroba multos  
Strinxerit, inferni lurida turba probant.  
Et *phlegethontæ* gaudent his dotibus vndæ:  
Gaudete, in nihilum gaudia vestra cadent.  
Ille *Berillæo* tandem miserabile *Tauro*.  
*Mugiat*, *Eumenidum* cui fera dona placent.  
Tandem vbi iam morbos alios, & plura malorum,  
Pergebant *Furia* commemorare truces.  
Ecce, nouus subito per apertas *sibilus* auras,  
Per nemus & virides spontè susurrat agros.  
Anne *volucris* erat? sed cur *fera cornua* frontem,  
Armabant? *Taurus* non erat, *ales* erat.  
Num tibi *ceruinæ* sunt *cornua* cognita frontis?  
Hoc etiam huic cernis *cornua acuta* modo.  
Hoc monstro viso, *Furias* stupor omnis habebat,  
Corripuit celerem per nemus omne fugam.  
*Ceruus* at elatus naturæ viribus audax  
Cæleste aggreditur nobilis *Artis* opus.  
Humanæ vt consent illustria commoda vitæ,

Corpus & vt possit mensque valere diu,  
*Pharmaca componit grata, & Medicamina Diuis.*  
Et quibus è Mundo damna fugare queat,  
Corporis è latebris Pestem depellere tentant?  
Protinus è venis pestile virus abit.  
Sic age, sic *Schrædere* tibi hinc noménque decúsque  
Crescit, & æternùm fama superstes erit.  
Et verè inceptas *volitare per ora virorum,*  
Portitor & stygius pauper inópsque iacet!

*Hoc honoris & amoris ergò votum accinit*  
IOHANN. TILMANNVS. D. &  
Med. Prof. Ord. Marpug.



AD DOCTISSIMUM VIRVM,

Dn. IOHANNEM SCHROEDERVM,  
Medicinæ Doctorem, fratris filium.

**I**ngenij profers dotes, ostendis & artem,  
*Herbarum Vires tradere quando studes.*  
Dumque Metallorum naturas ordine tractas,  
*Abdita quæ multis multa patere facis.*  
Hinc poterunt rectè varios sanare dolores,  
*Hinc herbas morbis rectè adhibere scient.*  
Hoc Agnate modo clarissime perge, sequentur  
*Perdulces fructus, præmia, fama, decus.*  
Non inhonorus eris, non deficiente crumena  
*Assiduâ passim dote celebris eris.*

GEORGIUS SCHROEDERVS, Reip. Salis-  
Villenianæ Consul, Authoris Patruus.






**E**X scriptis S C H O E D E R E tuis, cùm vidit Apollo  
Ingenij dotes, mentis miratus acumen,  
Dixit, ea æternâ iubeo dignissima cedro;  
Quicquid enim occulere alii, hoc ipsum omne reuelat.  
Naturæque aperit mirâ breuitate recessus,  
Conclusumque tenet recto rerum ordine *junctim*,  
Quicquid habent Arabum clarissima lumina, Crinas,  
Almanfor, Mesues, Auicenna, Salemnia, Zocha,  
Quicquid & Hippocrates, Mithridates, quicquid & Hermes,  
Quicquid & Eûclides, quid Chiron, quidque Machaon,  
Quicquid & Hartmannus, quicquid Sennertus acutus,  
Crollius, ac alii Chymico splendore corusci,  
Quorum indefessos est admirata labores,  
Hoc nostro fecunda parens Germania seclo,  
Quicquid habent, inquit, sparsim, congescit in vnum.  
Atque suas Lachesi leges indagine mentis  
Solerti sanxit, pulsâ formidine fati:  
Hæc fando, æterno ditauit marmore nomen.  
Ergò mihi viuas nostræ pars altera vitæ  
Faucibus ex orci quam tu, S C H R O E D E R E, reduxti,  
Viue tibi que tuis, tutumque virefcesce per orbem!

*Merite gratitudinis & amoris monumentum posuit  
Mæno. Francofurti,*

IOANNES GVILIELMVS HOCHSTATT,  
D. Physic. Ord. ibidem.



*Ad Clarissimum & Doctissimum*

Dn. IOHANNEM SCHROEDERVM

Medicinæ Doct. præstantissimum, denuò  
suam Pharmacopœiam edentem

*Anagrammata tria.*

I.

Ο ΙΩΑΝΝΗΣ ΣΧΡΟΙΔΕΡΟΣ.

*Κραγμαματικός :*

*Διὺ νῦν χάς ἔρρωσ.*

**N**Αἶ σὲ τὸν ἰατρὸν πολυδίφρα, ΣΧΡΟΙΔΕΡΕ, εἶνα  
Σὲ τίδ' μαρτυρεῖ, βιβλίον ἀσθενείας  
Ἀνδρῶν γὰρ, χόλιον, ἔ, κάρπων, ἠδὲ μεταλλῶν  
Ἰατροῖς εὐαίνει φάρμακα πάντα σφραῖ.  
ΔΗΝ ἢ ΝΟῖΣ ἘΡΡΩΣΟ ΧΟΪΣ, ἠδ' ὀποχῆ αἰν,  
Ὅπως ἰατρῶν ἀδερῶν ἀδρα δύνη.

II.

*Iohannes Schröderus Vsteniensis Medicinæ Doctior.*

*ΑΝΑΤΡ.*

*Chare doctis medicis, anne venis? Vism? odore flores.*

**C**HARE vir, & DOCTIS MEDICIS celeberrime Doctior,  
ANNE VENIS clarus Martis & artis ope?

Mars medicum te coluit quondam: at nobilis ars nunc  
Te laudis titulo nobiliore beat.

Idque opus hoc medicum probat: EN VNIS Ne peritè  
Omnia, quæ medicis sunt meditanda viris?

Hinc celebris medicus meritò nunc plaudis & audis,  
Et scripti FLORES huius ODOR E tui.

III.

*Iohannes Schröderus Vsteanianus Medicinæ Doctior.*

*ΕΙΝΑΧ.*

*En es sicut rosa odora, nunc in medica flores: indue.*

**E**N de rosis dum scribis, atque floribus,  
Schrödere Doctior, cæteris,  
**E**S Litteratis omnibus SICVT ROSA.  
**O**DORA in horto florido.

ET

ET NUNC IN arte MEDICA ubique nomine  
FLORES tuo clarissimo.

Sic perge libros scribere, & sic INDVE

Scriptis tuis doctissimis,

Celebre nomen atque talem gloriam,

Quæ apud futuros posteros

Florebit & tibi virebit splendide,

Dum terra picta gramine

Virebit, atque floribus vernalibus

Ornabit hortos fertiles.

*Ioh. Loosherus Florimontanus Pastor Vfleniensis & Superintendens  
Generalis in Comitatu Lippiaco F.*

*Herbis; non verbis, Medicorum, est pellere morbos.*

*Verbis; non herbis, stolidorum est, credere corpus*

*Curandum! ergo abeant, abeant procul atque facebant,*

*Et vetulæ, & lamix & varium genus impostorum.*

*Vandicum, indoctum, quos pro medicamine verba*

*Protulisse iuuat, credo, Cacodæmone fretos,*

*Aut Erebi furiis comitatos, pellere morbos*

*Carminibus Circes tentantes, murmure cantus*

*Thessalici, orantes Erebonque Hecatenque Chaontaqu:*

*Absint, longè absint, procul hinc; procul inde facebant!*

*Herbis; non verbis curantur corporis artus:*

*Herbis; non verbis fiunt medicamina vitæ:*

*Herbis; non verbis fiunt unguenta salutis:*

*Herbis; non verbis redeunt in corpora vires,*

*Ergo hinc longè abeant, procul hinc; procul inde facebant.*

*Verbis; non herbis qui curant corporis artus:*

*Verbis; non herbis querunt medicamina vitæ:*

*Verbis; non herbis faciunt unguenta salutis:*

*Verbis; non herbis reparant in pristina vires.*

*Ergo tuis cessent verbis Medicafter Apella!*

*Ciamosus Stentor! cesset furiosus Agyrtes!*

*Herbis; non verbis cunctis propino salutem!*

*M. Antonius luterus, Gymnas. Francof. P. t. Pr. Prim.*

ANA



ANAGRAMMATISMVS.


IOANNES SCHRODERVS  
Medicinæ Doct̃or.

ERIS COVS, SIC ORNANTE DEO IN RE MEDICA.

**A**Lter ERIS Schrödere COVS, SIC nōmina reddunt,  
Scripta probant ORNANTE DEO (quæ gloria maior  
Esse potest?) TE IN RE MEDICA. Concertet hirundo  
Cygno, aut hœdus equo, si conentur tua scripta  
Roderè Lior edax, Momusue asinus, sua norint  
Crimina fœda prius; quid enim concertet hirundo  
Cygnis, aut facere tremulis forte artubus hœdus  
Consimile in cursu poterit quam sortis equi vis?

*Pharmacopœam Medico-Chymicam Excellentissimi &  
Experientissimi Viri Dn. D. Schröderi anagram-  
mate hoc extemporaneo condecorare lubens &  
meritò volui Francof 8(18) Septemb. Anno 1641.*

BALTHASAR STVTENIVS Med. Bilsfeld.



**N**on nobis solum nati sumus (optimus inter  
Romanos Cicero monuit) sed vindicat ortus  
Patria mox nostri partem, partemque Parentes,  
Partem fidus amor quos nobis iunxit, Amici.  
Et velut in terris qua progignuntur, ad usum  
Proueniunt hominum; sic magnus Conditor orbis  
Ob genus humanum mortales condidit ipsos,  
Alter ut ulterius posset releuare labores.  
Quò nos ergo parens ducit natura, sequamur  
Omnibus officiis mutuo prodesse, hominumque  
Inter nos homines studium, nunc artibus ipsis,  
Nunc operâ, nostrisque bonis vincere parati.

de off. l. 1.

Hoc monitum observans, Clarissimus arte medendi  
Schræderus, verbis, factis, scriptisque saluti  
Prospicit agrorum: testatur id optima praxis,  
Testatur medicum, quod nobis arte volumen  
Conscriptum dederat magnâ: nunc auctius ipsum  
Cum videat lucem, meritò letamur, & illi  
Qui dedit, immensas pro tanto munere grates  
Solvimus, atque suam multos producat ad annos  
Nestoris, optamus vitam, quo premia digna  
Accipiat studio, multumque salubria dictans,  
Pluribus auxilium præstet, vel præbeat Orbi  
Exemplum, mutuo potius vigiletur ut agris  
Consensu, in partes quàm diuellamur iniquè.

f.

IOANN. PFAVTZ D.



d

CHARA